

## P R O L O G U S.

ratum esse videbatur. Quemadmodum enim , quotquot olim exstitere Philosophi , commodissimè ad duas classes referri queunt , quarum una est Dogmaticorum , qui certam indubitatamque ex veris principiis haustam rerum scientiam docere , ac Discipulis suis tradere præ se ferebant ; altera vero Scepticorum , qui contrà , omnia in dubium revocantes , nihil certo sciri posse pronunciabant : Sic hōc seculō etiam duum similiū generum reperiuntur Theologi , quorum alterum his , alterum illis respondet. Audacter namque maxima inter eos pars , se veram evidenteremque rerum Theologicarum è S. Litteris depromptam habere notitiam , eamque alios condocefacerē prædicant ; cùm contrà alii , si non omnia sua , quām plurima tamen , Religionem Christianam concernentia , tantum verisimiliter è Scripturis petita atque deducta esse , ingenuè fateantur , adeoque illa , tanquam incerta , & dubia , meliori aliorum , saniorique subjiciant judicio , ac , sub correctione , ut ajunt , loquentes , quasi ab illis emendanda propo- nant. Ac quemadmodum etiam antiquitū tota Dogmaticorum Philosophorum classis non in unam coiēre , sed in diver- fas discrepantes pugnantesque abiēre sententias , ac sectas , quales fuere Pithagoræorum , Platonicorum , Epicureorum , Stoicorum , Peripateticorum , &c. Similiter etiam nostrā hāc tempestate Theologi Dogmatici circa Christianæ Religionis capita multum inter se dissident , ac varias contrariasque cude- runt , ac etiamnum fovent opiniones , idque tantō animi æstu atque fervore , ut Christianus orbis in partes quasi , atque di- versas Ecclesias sit disceptus atque distractus , illiusque in- colæ animō & moribus non tantum discordes , sed etiam qui- dam capitales inimici facti , quales sunt in Europā ( ut de Asiaticis nihil dicam) Pontificii , Reformati , Lutherani , Ana- baptistæ , Sociniani , Arminiani , & id genus alii. Ac denique ut illi , sic etiam hi , utrorumque quamvis qælibet secta præ cæ- teris se ostentet atque commendet , ac inconcussâ veritate sub-